

*dictis elementis esse compactos, statuit dictus Reita Copernici adversarius lib. 4. cap. 1, fol. 475. & Kircherus in Itinerar. Ecstatico. Lunaris etiam sideris adspectu, facie & consideratione in aliorum siderum magis à nobis remotorum, adducimur in cognitionem, verisimile esse, è tali materiâ & substantiâ (si cætera intelligentur paria) & reliqua sidera compacta existere, è quali Lunaris globus compactus est.*

*Planetariorum globorum unusquisque pro salute suâ circa proprium axem sese vertit (de quo capite sequenti 12.) hinc animalia Mundana esse à quibusdam creduntur: Illa enim animalia solum agnoscere, quæ carnem habent & sanguinem, oculosque, manus & pedes, non sequi dicunt; sed quod internum principium motus habet, seu corpus animatum. Nam etsi Planetæ oculis, manibus, pedibusque, & aliis quibus Animalia Terrestria prædita esse comperimus, careant, tamen habent, quod eorum conservationi conductit, multoque liberius & melius moventur quam Terrestria: & sicut hæc dupli constant calore, pro-*

*Planetæ  
vertunt sese  
circa pro-  
prium  
axem.*

*Planetæ à  
quibusdam  
Philosophis  
crediti fue-  
runt esse  
Animalia  
Ætherea.*

prio scilicet seu nativo, & externo, qui est à Sole, ita quoque Planetæ tanquam animalia magna, ætherea. Unde Cicero lib. 2. de nat. Deorum inquit: *Hac Mundi divinitate perspectâ, tribuenda est Sideribus eadem divinitas: quæ ex nobilissima purissimaque ætheris parte gignuntur, ut ea quoque rectissimè Animantia esse & sentire atque intelligere dicantur. (& paulo post) Absurdum esse Aristoteli videtur, in eâ parte quæ sit ad gignenda animalia aptissima, Animal gigni nullum putare. Sidera autem æthereum locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est & semper agitatur ac viget, necesse est quod animal in eo gignatur, idem quoque sensu acerrimo & mobilitate celerrimâ esse. Quare cum in æthere astra gignantur, consentaneum est, in iis sensum inesse & intelligentiam.*

*Si autem Planetæ animalia sunt aetherea; habebunt quoque animam vegetantem & crescentem, de quo etiam cap. 4. lib. 5. quod sapientioribus, & ad scrutandam rerum cognitionem natis, discutiendum relinquimus, nobis enim nihil interest, sive negetur, sive affirmetur.*

## CAPUT XI.

### De Latione Planetarum.

*Sol circum-  
fert Plane-  
tas.*

**S**icut Deus Solem tam quoad Lucem quam calorem Principem Mediumque inter Planetas constituit, Eique in illos quasi imperium vitæ necisque contulit; Sic is quoque per celerrimum suum vertiginis motum, Planetas omnes in eandem in quam & ipse volvitur plagam, virtute suâ circumfert in spatio illo liquidissimo (videatur etiam lib. 1. cap. 12.)

Sol enim, dum perpetuò sese ac celerrimè juxta proprium centrum vertit, simul totum suæ virtutis orbem (in quo comprehensi sunt omnes Planetæ) in gyrum circumagit, isteque orbis unà secum rapit in eo contentos Planetas (inter quos quoque Tellus reperitur) & quidem eo modo

quo cujusvis massa seu corpus est proportionatum. Nam cujus corpus solidius & etiam majus est, eò magis quoque virtutis impulsivæ fit capax, adeoque in ampliori simul circumferentia circumvehitur; Cujus verò corpus minus est, illud in minori quoque circumferentiâ circumfertur; ita ut Latio Planetarum consentiat harmonice, tum distantiis, tum Lationum periodis pro cujusvis proportione, nec ulla irregularitas his corporibus, quamvis quodlibet suam peculiarem habet itionem, possit accidere.

Etsicut maximè per Virtutem impulsivam (quæ in his corporibus solidis ad summum quò fieri potest, per continuum Solis Vorticem excita-

*Ciceronis  
sententia.*